



*94. 15* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-35.*

SIGNAT. CI<sup>o</sup>ICCCXIII.



AD CL. V. DN.  
ALBERTVM CLAM-  
PIVM

Carmina amicorum,

QVIBVS ILLI DE DIGNITA-  
te Iurisconsulti gratulantur.



HELMSTADII  
Typis Iacobi Lucij, Anno  
cl. l. xci.

MAI 77

M. Samuel Sharlach G. Seno.

Opibusne an virtute fama maior?

**H**actenus, & toto certatum assensibus orbe,  
Eque ipso auditæ Musæ Helicone loqui,  
Hæc eadem dixere: Bonus vir præstat habenti,  
Nec par diuitibus cum sapiente locus.

Scilicet hæc aliquis (nam sunt quoq;) mira putabit

Nec Paris Archiua Palladen ante-feret.

Nec mihi Mercator meliori assurget auarus:

Tanti iudicij non erit iste bipes.

Est animus tibi, sunt sedati pectore motus,

Est facies, etas integra, fama, fides:

Si quadringentis sex, septem millia desunt,

PLEBS eris, eiq; imo est SCENA videnda gradus.

Aurea cum iaceret, vicit Schœneida pomis,

Cui fletum toties antè repulsa dabat.

At mihi non auro contrà, Sapientia, cara

Occinit ante aures tale subinde melos.

Si quadringentis, ratio, & Sapientia desunt;

Plebs es: STULTITIAM nam patiuntur opes.

Nos, quorum in dubijs rebus RESPONSA petentes

Consultum TRIPODAS vos metus ire iubet;

Nos, qui glaucomam vestris prohibemus ocellis,

Quam stulta affanijs secla dedere suis;

Nos gemini vobis, per quos videatis, ocelli,

Et, quid conueniat, quid noceatue, palam est.

Nos sumus, & tanti tua nulla calumnia, nulla

Aerugo, aut STRABI lima supercilij,

Vt vel tantillum metuam te posse malignè

Detrahere, aut nostro turpè nocere choro.

T V I A M


TV IAM diuitibus manis, an te, optime, iunctum,  
 Dic CLAMPI in tanto plausu, & honore, bonis?  
 Nam neq; te turpi sperem seruire lucello,  
 Nec VIRO ad hos titulos caussa erat ista BONO:  
 Sed prodire tenus, famamq; extendere factis,  
 Iuridicam terris & reuocare THEMIS,  
 Priscam illam, veramq; Themis, RES queq; LATINAS  
 LEGIBVS ANTIQVIS STARE, VIRISq; iubet:  
 Hic scopus, hac virtus: subita sunt cetera mortis  
 Et verum nulli est, perpetuumue bonum.  
 SALVE sancta THEMIS, felix, quem tu incluta seruas  
 Et iuris celebrem fama utriusq; facis.  
 Degeneres animos pingit contemptus honorum,  
 Qui facere alterius rem sibi morte solent.  
 Cuncta parens gnato liquit, quid gnatus adibit?  
 Possideat tuus hac si rediuius auus.  
 Quando quisq; suas repetitum venerit alas,  
 Alterius cornix vsa patebit ope.  
 At, que diua tuâ cedunt, Sapientia, sorte,  
 Non, meus, extimui, ne rediuius auus  
 Diceret: Hæc mea sunt, veteres migrate caloni:  
 Aut ea vicinus perderet hausta rogas.  
 COETERA longa dies, inimicus & hauserit ensis  
 Quelibet: Ingenium immobile cuiq; bonum.  
 Salue diua bonæ custos sapientia fama,  
 Et tu pro fama que geris arma, THEMIS.  
 Tu DEA, quodcumq; hoc nomen, tu regna, Ducesq;  
 Consilias; pransis das & adesse Deis.  
 Date, da ALBERTO, atq; audacibus annue Captis  
 Priscus ut inter nos Saxonas exstet honor.  
 Vltima tu inter quos, iam-iam, vestigia, cedens,  
 Fecisti, & nostro visa suprema foro.

A 2

Te pinus

*Te pius, ingenio immortalia nomina sperans,  
 CONSTANTI sequitur sedulitate LABOR.  
 Si nihil ex tanto superis placet orbe relinqui  
 Humana & subitis sunt abolenda rogis:  
 At famam tamen inde bonam, non ultima spes est,  
 Exigua secum EFFERRE super tabula.  
 Cùm patrios hostis raperet circum, Hectora, muros  
 Vix aliquem daret & iam Libitina locum:  
 Ipsa tamen, factis latum exspatiata per orbem,  
 Despecto virtus nescit abire rogo.  
 Cetera, qua heredi accesserunt iure paterno,  
 Contra quæ hostiles & valuerunt manus:  
 Omnia iam imperio flamma, & sunt subdita mortis,  
 Nec veteris saltem iam urbis imago manet.  
 Tantùm cui longinqua valet mutare vetustas,  
 Sola vetat pietas, & bona fama mori.*

**ODE AD V. C. ALBERTVM  
 CLAMPIVM BREMENSEM CVM IN  
 inclyta Academia IVLIA Doctoris  
 V. L. Titulo augetur.**


*Ognata nostræ Musa puertia,  
 Seu tu querelas temporis anxij  
 Tractas & insanos tumultus  
 Funeraq; Imperij ruentis;  
 Dimitte in hostes tristitiam truces,  
 Secus moueri digna bono die,  
 Dimitte, Phæbo sic iubente  
 Redde sonos modo blandiores,*

Hoc

Hoc nunc agamus; quando Diespiter  
Miscet dolori letitiæ vices,  
Nunc Delio festum sacremus,  
Iuliadis soboles Lycai.  
Hæc CLAMPVS qui Socraticis madet  
Sermonibus, te flectat amabilis  
Pulchroq; spectandus decore  
Cecropiæ in medio iuuentæ.  
Quem tu, merentem quo statuit loco  
Virtus, adauge laudis adoreâ  
Quam fama pernici volatu  
Transuebat vsq; ad vtrumq; solem.  
Quem primo ab ortu pectoris ignea  
Nido parentum propulit indoles,  
Longe per oras, exterorum  
Italiæ populos & vrbes;  
Quæsitum an vsquam qui foret aureæ  
Doctrinæ amicus, cui studio pari  
Se dideret siue addocendum  
Æmulus aut superare eundem.  
Vicit, Laboris nixus & ingenI  
Pinnis alarum; summa adipiscitur  
Trophæa iuris nunc & equi  
Doct̃or, ouans duplici corona.  
Hoc est, quod olim non temere dabas  
De te futuri spes iuvene altius,  
Arcem supremam qui teneres  
Et Sophiæ & Themidos sacrata.

Hoc

Hoc est, quod olim *MENOCHIVS* grauis  
Intaminati iudicij arbiter,  
Hoc *RICCOBONVS* Tullianæ  
Gloria pollicitus cathedræ.  
Testisq; nostræ flos *Academiae*  
*CASELIVS*, cui secula nec parem  
Vel quæ fuere nec datura  
Postuma sunt alios in annos.  
Sive ille *Aristippi* ex adytis opus,  
Graiumq; chartis eruat abditum;  
Plenum laboris ingeniq;  
Quod iuvenes stupeant senesq;  
Hac ibat ergo *CLAMPIVS* orbita  
Constanter, ingens præmeditans decus,  
Dementium obtutu irretorto  
Despiciens comitem ruinam.  
Salueto *CLAMP I*, mactæ animi bonis,  
Confide diuis; Hinc tibi copia  
Manabit ad plenum benigno  
Iuris honorum opulenta cornu.

Jacobus Thysius:

ALI-



A L I V D.

**A** Vricomas iterum ecce rosas, & lilia, flores,  
 Verno IVLIADÉS mittunt hoc tempore Musæ,  
 Quos flores? quas queso rosas? & lilia quænam?  
 Præstantem virtute virum, legumq; peritum,  
 IVLIA cui celebris schola, iuris & ampla facultas

Iam Doctorali præcingit tempora mitra  
 Huc huc Pierides nemorum per lustra loquaces  
 Tendant, ut leti letos celebremus honores  
 Ipsius, & famam, nomenq; feramus ad astra,  
 Quod nomen, famamq; sibi, laudemq; paravit,  
 Dum studio intentus iuris, sursum atq; deorsum  
 Plena sacratarum per multa volumina rerum  
 Exseruit caput, ut magè posset iuris & æqui  
 Antistes fieri, dein causarumq; Patronus  
 Nobilis, ac eadem prudenter reddere cunctis.  
 Quo circa ô studium flagrans, memorabile, sanctum  
 Iuris & ô vitæ dux ac fortissimus heros,  
 Quid genus humanum sine te, mihi dicito? nonne  
 Vas scelerum foret, & furum spolia atq; rapinæ?  
 O nunquam laudata satis Prudentia iuris.  
 Tu validas vrbes, tu splendida tecta domorum,  
 Et postes humiles monstrasti iungere primum.  
 Tu structas vrbes structo munimine legum,  
 Iudicijsq; datis fulsisti, tu vitiorum  
 Et scelerum expultrix, vitæ morumq; magistra es.  
 Per te securum placidè traducimus ævum,  
 Per te nunc (si vera feram, si magna rependam)  
 Quælibet in toto mundo Respublica salua.  
 Digna igitur magna Iurisprudencia laude,  
 Quid? digni eximia quoq; iuris laude periti,  
 Iusta reis iuste cunctis qui iura ministrant.

Nam

Nam veluti aethereas præclaro lumine stellas  
Aureas exuperat Titan vincitq; micando :  
Sic doctrina virum quos imbuunt ardua, virtus  
Quos spectata colit, vigil experientia legum  
Quos decorat, pulchrè quos ornat gratia morum,  
Præcellunt alijs vero splendoris honore.  
Exulat hinc quisquis proprio non Marte triumphat,  
Sed crepitat laudes alienas, nomen, opesque.  
Non etenim laudes, genus alto sanguine Divum,  
Nobilitant homines; ast hi virtutis amantes  
Præclaros referunt titulos, & premia, honores.  
Auspicijs titulum faustis quem percipis ergo,  
Ut beet hunc leta nunc prosperitate Iehoua,  
Cui mare cui tellus famulatur, & ignea celi  
Sidera: quem metuunt animalia secla animantum:  
Hunc, inquam, seruet, semper regat, ampliet, oro.

Bernhardus à VViden Brem.



ULB Halle

3

001 853 031




Sb.

Barcode hängt a.

1. Angeb. Stück, da 1. Stck. nicht i. Bd.

Stk. 6a nicht erf., da  
Hand schrift

12a unvollst., nicht  
erfßt





4



AD CL. V. DN.  
ALBERTVM CLAM-  
PIVM

Carmina amicorum,

QUIBUS ILLI DE DIGNITA-  
te Iurisconsulti gratulantur.



HELMSTADII  
Typis Iacobi Lucij, Anno  
cl. l. xci.

36

